



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

10. Arbori vitæ naturalem vim fuisse conseruandi hominis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

nunquam maturefcit; sed tamen utilis est; gignit enim culices, qui deuoalantes ad veram ficum, perfollo fructum cortice, in maturitatem educunt. Xerxes in Lydia, cum vidisset proceram plantanum, diem solidum, sed eandem, exegit, nulla postulante necessitate, & castra posuit, circa illam; quin & curatorem ei reliquit, quasi custodem. Erat & Romanis hæc tam grata arbor, ut eam vino irrigarint. Quis iudicet Paradiso indignam? quis vlmum, laurum, abietem inde excludat, quas regum delicatissimi, siluulis horrendis intulerunt? Multo que incredibilius est, has tales arbores tunc fructiferas fuisse; post peccatum autem Adami, fructus ad esum aptos ferre desisse. Si enim lapsus ille ipsius hominis naturalia bona non extinxit, cur bona arborum plantarumque abstulisset? aut cur aliarum arborum fructus tam dulces reliquisset? sufficissent peccatoribus malua, squilla, faba, caules & glandes, asphodelus, & lupinum; si ita DEVS eos punire voluisset. Certe diuina historia affirmat, DEVM produxisse, in Paradiso *omne lignum pulchrum visu*. At multa sunt ligna visu pulcherrima, quæ fructu carent. Nempe fructus est etiam optimus ipsa pulchritudo. Ezechiel quoque testatur, in Paradiso, cedros, platanos, & abietes extitisse. Quare cum dicitur; DEVM produxisse *omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suauis*; item: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, que habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, & cunctis animantibus terra: itemque, ex omni ligno Paradisi comedite*; ea in sensu diiuncto, non coniuncto sunt accipienda; hoc est, non de omni herba & ligno absolute, sed de omni planta ferente fructus ad edendum opportunos. Constat profecto, aliquot esse plantarum seu lignorum genera, quæ non sunt pulchra visu, & tamen fructus admodum suaues pariunt, ut vitis, cuius lignum ad nihil valet, nisi ad ignem nutriendum. Ut ergo Paradisus palatum oblectaret, arbores habuit pomis alijsque fructibus onustas; ut oculis afferret plenam voluptatem, plantas exhibuit sola florum, foliorumque venustate blandientes.

Ante omnes tamen arbores vnica erat omnium nobilissima; atque ea propter, tanquam cor, aut centrum, in medio Paradisi collocata, longè yrique & natura, & effectum, ab his mortalibus nostris

Ælian. lib. 2.
cap. 14.

Ezech. 31. 8.

E. Angustin.
lib. 1. de ci.
cap. 20.
S. Hieron.
ad Rom.
cap. 2.
S. Hieron.
ad Rom.
cap. 2.
S. Hieron.
ad Rom.
cap. 2.

X.



nostris plantis diuersa. Siquidem illa *arbor vitæ* appellata est, non quòd ab extrinsecò, & supernaturali quodam munere DEI (vt nonnulli arbitrati sunt) vim habuerit hominis ab inmerito præseruandi; sed id ei ex vi propriæ naturæ eidem diuinitus inditæ competeat, vt quicumque ex ea vescerentur, quasi necitare quodam aut ambrosia Deorum (vt postea ex hac vera historia Poëtae fabulati sunt) vitam propagarent. Cuius rei argumentum est, quòd etiam Adamum peccato iam mortem commeritum, eiusdem ligni vis & beneficium, à morte præseruare potuisset, nisi DEVS eum, adhibita Angeli custodia, deinceps de ligno vitæ sumere prohibuisset. Si igitur ponimus, hanc arbori huic virtutem fuisse naturalem, perspicuum est, eam arborem, ab omnibus his arborum generibus fuisse diuersissimam, quippe nulla eiusmodi vi pollet, iuxta vulgatum illud:

Contra vim mortis, non est medicamen in hortis.

Laudatissima herbarum est, Homero teste, quam vocari ab dijs putant *moly*; & quam contra summa veneficia valere crediderunt. Sed ea vel fabulosa fuit, vel contra vnum alterumue veneni genus duntaxat, potuit adhiberi; mortem tamen pellere, ac vitam non potuit æternare; sicut potuit *arbor vitæ*; vt probabilis S. Augustinus & Chryostomus docuerunt; tametsi præclari Doctores, & ipse D. Thomas existimârint, arbori illi vim infuisse, ad longum duntaxat tempus, non autem perpetuò hominem à morte naturali conseruaturam. Sed SS. Patrum sententia diuinis litteris magis consonat, quæ clarè ita loquuntur; immo, in ijs, DEVS: *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum: nunc ergo, ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est. Eiecitque Adam: & collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammæum gladium aque versatilem, ad custodiendam viam ligni.* Quid opus fuisset hæc custodia, si ligno illi, post peccatum proroplata, vis pristina ampliùs, & quidem perpetuò conseruandæ vitæ non infuisset? quàm apertè dicitur? *ne forte mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* Certè, si virtute naturali fructus huius ligni, potuit resouere calorem naturalem,

Plin. lib. 25.
cap. 4.

S. Augustin.
lib. 13. de ci-
uit. cap. 20.
S. Chryf.
hom. 18. in
Genes.
S. Thom.
1. p. q. 97. a. 4.
Scot. in 2.
sent. dist. 19.
q. 1.
Gen. 3. 22.

naturalem, ac humidum radicale, ea perfectione, quae in virilis aetatis statu esse solet, restaurare; conficitur, quotiescumque Adam fructu illo usus esset, corpus eius semper reflorescere, atque ita cum aeternum sine senio vivere potuisset; vel, si non in peccatum lapsus esset, donec Deo placuisset ipsum ad beatioram vitam in caelum transferre.

In tali non agro, sed horto, Creator hominem initio posuit, ubi neque labor, neque senium, neque morbus, neque mors, neque tedium ullum; sed omnia terrae bona sponte & abunde proveniebant; ubi passim oculis simulque naribus adblandiebantur panace, nepenthes, amaracus, ambrosia, lotus, rosa, viola, hyacinthus, & Elysij campi. Atque in his quidem positi delicijs Adam & Eva nequaquam a fletu sunt auspicati vitam, sed protinus decorissimo mundi aspectu exhilarati suam felicitatem; & in hac ipsa quoque tam beata habitatione, quandam Numinis imaginem, Numinis, inquam, unde quaque beati, agnouerunt. Quamquam & alia Numinis imago homini est impressa, quam S. Bernardus etiam atque etiam monet intuendam, dum ait: *Intellige dignitatem tuam, nobilis creatura, quoniam non solum insignita es Dei imagine, verum etiam decorata similitudine.* Et iterum: *Quid maius his tibi facere potuit, quam ad similitudinem suam conderet factor tuum? Attende igitur diligenter prima conditionis tuae excellentiam, & veneranda Trinitatis imaginem in te ipsa agnosce.* Quin, ut doceat, quid sit ista Numinis & hominis vel imago, vel similitudo, addit: *Considera nobilitatem tuam, quod, sicut Deus ubique est totus, omnia vivificans, omnia movens & gubernans: & sicut Deus, est, vivit, & sapit; ita tu secundum modum tuum, es, vivis, & sapis: & sicut in Deo tres sunt personae, Pater, Filius, & Spiritus sanctus; sic tu habes tres vires, scilicet intellectum, memoriam, & voluntatem.*

Principes si rem quampiam vel saluam volunt, vel honoratam, insignia sua illi appendunt, sigillum imprimunt, ne violetur. Ita ex divina imagine homini a Deo impressa, intelligimus, quantum in eum divinae auctoritatis, dignitatis, maiestatis voluerit, derivare. Sua eum imagine insigniuit, ut ei caelum & terra servire, ut Angeli ministrare, ut bestiae obedire non dedignarentur, ut ipsi atri daemones nocere non auderent; denique similem eum

XI.

S. Bernard. de
interna do-
mo. cap. 67.

XII.

sibi